



Dissertatio historico-chirurgica inauguralis de Henrico Roonhusio, praeclaro saeculi XVII chirurgo neerlandico

<https://hdl.handle.net/1874/322623>

DISSERTATIO HISTORICO-CHIRURGICA INAUGURALIS

HENRICO ROONHUSIO,

PRAECLARO
SAECULI XVII

CHIRURGO NEERLANDICO.

AMMENTI, SUMMO PUDICE,

RE-AUDITIONE SEXTORI MAGISTRI

PETRI JOHANNIS PAAZI DE FREMERII,

DISSERTATIO HISTORICO-CHIRURGICA INAUGURALIS

DE

HENRICO ROONHUSIO,

PRAECLARO

SAECULI XVII

CHIRURGO NEERLANDICO.

RECTORIS AN PUDICE

IN ACADEMIA RUENO-TRAJECTINA

RECTORIS AN PUDICE

RECTORIS AN PUDICE

WILHELMUS DITTMARUS FRANCISCUS BUYSMAN,

STILASTA

AMMENTI, SUMMO PUDICE, RE-AUDITIONE SEXTORI MAGISTRI

AMMENTI, SUMMO PUDICE,

RE-AUDITIONE SEXTORI MAGISTRI

WILHELMUS DITTMARUS FRANCISCUS BUYSMAN,

INSTITUTO HISTORICO-CHIRURGIA INVENTUALIS

DE

HENRICO ROONHUISIO

PARATIHO

MARII 1741

EDITIONE WERLANDIO

UVA

ANNENTE SUO MO NINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MARENICI

PETRI JOHANNIS ISAACI DE FREMERII

INSTITUTO HISTORICO-CHIRURGIA INVENTUALIS

RECTOR

UNIVERSITATIS KENATIN ACADÉMICI CONRADO

HENRICO ROONHUISIO

PROGRASSUM FACULTATIS MEDICAE SUO

PRO GRADU DOCTORATIS

RECTORI

EDITIONE WERLANDIO

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA KENY-TRACTINA

RECTORI

RECTORUM EXAMINI SUBMITTIT

WILHELMUS BITHARIUS FRANCISCUS HUYSMAN

BRUNNEN

IN VITRO 1741 ANNO JANUARI, MDCCLXXII, PARS 7



INSTITUTO HISTORICO-CHIRURGIA INVENTUALIS

RECTORI

UNIVERSITATIS KENATIN ACADÉMICI CONRADO

DISSERTATIO HISTORICO-CHIRURGICA INAUGURALIS

DE

HENRICO ROONHUSIO,

PRAECLARO

SAECULI XVII

CHIRURGO NEERLANDICO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI JOHANNIS ISAËCI DE FREMERIJ,

MATH. MAG. PHIL. NAT., MED. ET ART. OBST. DOCT. ET PROF.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN

MEDICINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS.

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

BALDUINUS DITHMARUS FRANCISCUS HUYSMAN,

BRILANUS.

Ad diem XXIX mensis Januarii, anni MDCCCXLIX, hora V.



TRAJECTI AD RHENUM,

Apud J. DE KRUYFF.

MDCCCXLIX.

INSTITUTIO HISTORICO-CHIRURGICA IN ACADEMIA

HENRICO ROONHUISIO

MADEIRAE

CHIRURGO NEELENDICO

ANNUNTIA SUMMO NOMINE

IN ACADEMIAE REGTORIS MAGISTRUM

PETRI JOHANNIS SAAGI DE FREMERII

PROFESSORIS PRAESIDENTIS

PARENTIBUS CARISSIMIS

ACADEMIAE REGTORIS MAGISTRUM

PROMOTORI AESTIMATISSIMO

ACADEMIAE REGTORIS MAGISTRUM

ACADEMIAE REGTORIS MAGISTRUM

MEDICINA

ACADEMIAE REGTORIS MAGISTRUM

IN ACADEMIA ERGO-TALIACTINA

ACADEMIAE REGTORIS MAGISTRUM

ACADEMIAE REGTORIS MAGISTRUM

FRANCISCUSS HUYSMAN

DELLANTIS

ACADEMIAE REGTORIS MAGISTRUM

ACADEMIAE REGTORIS MAGISTRUM

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA L. E. BOSCH ET FILII

ACADEMIAE REGTORIS MAGISTRUM

PRAEFATIO.

PARENTIBUS CARISSIMIS,
PROMOTORI AESTIMATISSIMO,
PRAECEPTORIBUS CUNCTIS

SACRUM.

PRÆFATIO.

PARENTIBUS CARISSIMIS

Academice colledicuro mibi, utque Medicinæ
Ergo necessitate videtur oportet, non
Parsus, in ut bene tenent,
mensuris laborant, neque hodie
no hinc habentur, quæ sine
quædam sunt, quod occasio
pauca præsentibus et jam die
Vix
Academice Rectoris Professor,
in Philosophia Notarii et Mathematicis
tam in studio Medici, neque in
Pars omnium Vestrum in me
me scribit me scribit me scribit
in hinc hinc hinc hinc hinc hinc
in hinc hinc hinc hinc hinc hinc

VII

PRAEFATIO.

Academiae valedicturo mihi, atque Medicinae Doctoris gradum petenti, specimen aliquod erat scribendum. Ergo necessitate quidem coactus, non sponte auctoris provinciam agens, hoc qualecunque opusculum absolvi. Fore igitur, id ut bene teneas, Lector benevole, meumque laborem aequi bonique consulas, ne haec dulcissima spes me unquam sefellerit.

Ideo tamen quam maxime gaudeo, quod occasio mihi offertur jucundissima et jam diu exoptata publice testificandi gratum animum Vobis, Viri clarissimi, Academiae Rheno-Trajectinae Professores, quibus tum in Philosophia Naturali et Mathematicis disciplinis, tum in Studiis Medicis, magistris uti mihi contigit. Piam omnium Vestrorum in me beneficiorum memoriam me semper esse conservaturum, Vobis ut persuasum sit enixe rogo. Imprimis vero gratius quam maximas ago Tibi, Cl.

*Suermanne, Promotor aetumatissime, qui et publica institutione, et privata consuetudine sum-
mopere Te mihi obstrinxisti. Quamvis verbis non
praedicare possim, quantum Tibi debeam, sic tamen
habeto, singularis humanitatis Tuae ac benevolentiae
me nunquam esse obliturum.*

*Laetus etiam ego hanc opportunitatem arripio, ut
gratias palam agam Vobis, Praeceptores dilectissimi,
qui de me puero adhuc optime estis meriti. Tu
quidem, doctissime Huysman, Gymnasii Brilani
Rector idemque mi patrie carissime, in studiis li-
terariis, Tu vero expertissime Ludeking, in Ana-
tomiae et Physiologiae principiis addiscendis duces
esse, atque ita ad scholas Academicas me praeparare
non recusastis. Neque institutionis Vestrae, neque
benevolentiae me unquam esse immemorem, hic grate
Vobis significo.*

*Denique Vobis, Commilitones, quos amicos noctes
sum fidos, valedicens obtestor, ut Vestra sit mei
memoria, ut mea Vestri.*

INTRODUCTIO.

De Heelkunst klimt van trap tot trap,
En wykt geen andre wetenschap;
Want daar de mist van onverstand
Gebroken is, reikt zy de hand
Met meerder nut aan iedereen,
Als zy gewoonlyk plag voorheen.

D. Lingelbach

aan *Hendrik van Roonhuijze.*

Ut eujuscunque, scientiae alicujus studiis vitam dicantis, quam maxime interest, originis illius scientiae atque progressionis usque ad tempora recentiora accuratam acquisivisse cognitionem, ita Chirurgo res est permagni momenti, pristinarum generationum, de sua arte bene meritaram, facta haud ignorare. Multum autem abest, ut omnibus plane hujus veritatis sit persuasum, utque omnes hanc cognitionem appetant. Haud pauci enim reperiuntur, qui tantum lucri faciendi causa artem nostram exercent, eamque hoc ipso humiliter tractent. Ne cogitant quidem, Artem chirurgicam

rationalem in modum exercitam, ut quamque scientiam, certo fundamento esse nitendam. Vane praetextentes, per cognitionem historiae Artis chirurgicae quam maxime perfectam ne uni quidem vitio mēderi posse, adeoque artificio prorsus esse inutilem, vix refutentur necesse est. Quam multae enim observationes Chirurgorum pristinorum hodie etiam verae nec mutandae reperiuntur; quot, quaeso, operationes, quarum antea late patebat utilitas, nostris temporibus nondum commutatae, aut novis repertis emendatae ad aegrotorum salutem adhibentur; quam saepe accidit, ut aliquis, suae ipsius gloriae magis quam artis promovendae cupidus, quamdam curandi methodum tanquam a semet ipso inventam jactet, licet hujus inventi honorem pristinis generationibus revera tribuendum esse historia doceat? — Num igitur, his omnibus reputatis, hodie hanc scientiam penitus cognovisse jure dicendi simus, cum omnia a priscis relicta ignoremus?

Itaque majores despiciere minime nos decet. Nos magis in vera artis nostrae principia penetrasse, hoc non nobis solummodo est attribuendum. Nimirum multarum tantum sibi invicem succedentium generationum continuam per industriam Ars chirurgica ad perfectionem hodiernam perducere potuit. Cum illas imitemur, cum, aequae atque illae, summa contentione cognitionem nostram augere, aut ea, quae a majoribus sunt relicta, emendare studeamus, tum demum illis nos ante-

cellere dicendi sumus, tum grata a posteritate nos magni aestimatum iri, jure expectare possumus.

Non plura sane addenda, ut demonstrem, quantopere cujusvis Chirurghi, sociis in arte salutari excellere optantis, referat, artis suae inde ab origine usque ad tempus suum factorum se non esse ignarum, atque saltem viros maxime egregios, qui arti propagandae operam dederunt, cognovisse.

Hanc ob causam haud inutile putavi susceptum, si Dissertationis argumentum eligerem historicum, qua prisci alicujus Chirurghi, arti suae totam voventis vitam, praeclara facta exponerem. Apta vero electio factu erat difficillima. Civem meae patriae praetulisse, nemo non approbabit. Quamvis enim parva sit Neerlandia, viros Chirurgiam artesque ei cognatas facientes, qui peregrinarum nationum aequalibus omnino se pares praebuerunt, semper produxit. Vel sic tamen haudquaquam eligendi difficultas fuit remota. Ceteris autem omissis, ad *Henricum Roonhusium*, praeclarum Chirurgum Neerlandicum, qui medio saeculo decimo septimo vixit, utpote quem, ab aequalibus permagni aestimatum, primum operationes orthopaedicas fecisse *Stromeyerus* nostris temporibus laudavit, animum attendi. Itaque cum hoc factum accurate disquirere, tum virum, cujus artis orthopaedicae exercitatio tam egregiorum fructuum postea inde productorum veluti semen fuit, melius cognoscere desideravi, non dubitans, quin ille,

qui hac re tam insignis evasit, etiam de aliis artis partibus bene esset meritus. Promotoris aestimantissimi humanitate satis cognita huic desiderio potui indulgere; opusculum enim, quo gravissimas observationes *Roonhusius* edidit (1), mihi suppeditavit, et plura insuper loca lectu hodieque etiam imitatu omnino digna indicavit. In opusculo autem, jam ante duo circiter saecula edito, Artem chirurgicam non ea scientifica ratione tractatam esse, qua hodie auctorum opera denotantur, facile apparet; viri, illo tempore artem facientes, praecipue hujus artis partem practicum occupabant, cum in theoretica non longe essent progressi; ac quamvis *Roonhusius* quodammodo hac in re ceteris antecellat, et ipse tamen eodem vitio laborat, nec hodie nemo quis in meditationibus ejus theoreticis acquiesceret. Practica vero opusculi pars prorsus aliter sese habet. Nempe judicium acutum, dexteritas singularis, prudentia laudabilis, mascula audacia adjuncta, quavis fere pagina dilucide apparent, dum quoque propter modestiam, qua observationes simplices denotantur, vir nobis vel maxime probatur.

Horum omnium causa hac dissertatione virum adumbrare, et ab eo egregie facta praedicare mihi proposui, ea potissimum laudaturus, quae maxime attentione digna mihi videantur, quaeque saltem magna ex parte etiam hodie confirmata, nec commutanda sint. Quod priusquam suscipiam, paucis,

(1) *Genees- en Heelkonstige aanmerckingen*. Amst. 1672.

quae de vita ejus et scriptis investigare potui, praemissis, quo statu tunc in patria nostra Chirurgia fuerit, breviter designabo.

De die natali nihil mihi visum est constare, sed hoc minoris est momenti. — Ex opusculo vero jam supra laudato apparet, saeculi decimi septimi anno quadragesimo quinto nondum publice chirurgi munere eum functum fuisse, atque ad artem exercendam, duce *Rogero Beerenaart*, clarissimo Chirurgo Amstelodamensi, cujus filiam posthac duxit uxorem, se praeparasse. E carmine, quod alii opusculo, sub titulo »Genees- en Heelkonstige Aanmerckingen betreffende de gebreeken der Vrouwen» edito, est praepositum, quoque conjiciendum est, eum, priusquam publice Amstelodami Chirurgiam factitaret, scientiae augendae causa in Gallia ac Britannia esse peregrinatum. — Aequalis *Nicolao Tulpio*, praefecto urbi et ipsi medicinae maxime perito, et *Jobo a Meekeren* Chirurgo Amstelodamensi, ab utroque permagni aestimabatur, ut saepe eorum scriptis (1) dilucet; illi etiam *Observationes*, jam saepius citatas, dedicavit. Multi quoque alii medici et chirurgi, quorum alibi historia raro facit mentionem, variis observationibus adstitisse a *Roonhusio* dicuntur; praeterea autem muneris, quoungebatur, causa *Ysbrandi Diemberbroekii*, in Rheno-Trajectina Academia medicinae Professoris, *Blasii*, Pro-

(1) *Nicolai Tulpii*. *Observationes medicae* Amst. 1685. *Job van Meekeren*. *Heel- en Geneeskonstige aanmerckingen*. Amst. 1668.

fessoris Amstelodamensis, *Frederici Ruyschii*, Anatomici clarissimi, et multorum aliorum, qui in medicina aut chirurgiae eo tempore maxime peritis numerantur, familiaris fuisse videtur. — De familia constat, *Roonhusio* fuisse filium, qui, patre duce, et ipse arti Chirurgicae et Obstetriciae studebat, quocumque *noster* a nonnullis scriptoribus confunditur (1). Licet autem ille *Rogerus* propter scientiam Obstetriciam magis in universum inlaresceret, pater tamen gloriosius ad Chirurgiam erat insignis. Vectem nempe ille sibi a *Chomberlainio* venditum celans humanorum omnium vituperationem merito sibi contraxit.

Artis peritiae suae fructus *Roonhusius* duobus publicavit opusculis, quorum alterum inscriptum est »Genees- en Heelkonstige Aanmerkingen betreffende de gebreeken der Vrouwen. (Amst. 1672, ed. 2da.),” quodque, auctorem Obstetricatorem peritum comprobans, de ruptura uteri, de sectione caesarea, de prolapsu vaginae, de atresia vaginae, de atresia ani, et de ruptura vesicae urinariae agit. *Cl. Rust* (2), in eo quoque reperiri observationes de vulneribus capitis, de labio leporino ac de laesionibus nervorum perhibens, a vero aberravit. In altero tamen opusculo (jam supra citatis »Genees- en Heelkonstige Aanmerkingen. (Amst. 1672)” ex-

(1) Vide Algemeen Noodwendig Woordenboek der Zamenleving, pag. 2447.

(2) *Rust*. Theoretisch praktisches Handbuch der Chirurgie. Tom. XIV pag. 276.

perientiae maximum collocavit thesaurum. Ut ex praefatione patet, est editio altera atque emendatior alius opusculi, sub titulo „Historische Aanmerkingen” anno decimi septimi saeculi sexagesimo tertio editi, cui secunda pars omnia continens, quae per illud intervallum mentione digna auctori obvenissent, est addita. Totum opusculum, quaedam tractata si excipias instar epistolarum ad nonnullos Chirurcos scripta, e quadraginta de variis Chirurgiae partibus constat observationibus, plus minusve attentione dignis. Cum vero hoc opusculum Dissertationis scribendae mihi causa fuerit, supervacaneum erit hic enumerare, quaecunque ibi tractentur.

Saeculum decimum septimum, quo vixit noster *Roonhusius*, merito ad momenti plenissimas Chirurgiae periodos est referendum. Non solum permulti tunc exstiterunt viri artis periti, sed etiam chirurgiae multae magnaeque emendationes sunt adlatae. Exemplum a *Sylvio*, a *Vesalio*, ab *Eustachio* et *Fallopio* editum artis incremento faverat atque meliorem corporis humani notitiam Chirurgis impertiverat. Hi, illa adjuvante, a gravibus operationibus chirurgicis jam minus erant alieni, et generatim etiam multo melioribus gaudebant effectis, quam antea, quum ubique Anatomes notitia prorsus paene deesset. — Rapidi quoque reliquarum scientiarum progressus eo tempore Chirurgiae profuerunt. Cultura scientiarum, prae-

sertim post religionis Christianae reformationem magis magisque increscens, investigandi ardorem ubique excitavit, et homines opinionibus praejudicatis ac superstitione, quibus antea tenerentur, liberavit. Multae Academiae et Athenaea etiam in patria nostra fundata, exactas scientias comparandi facultatem unicuique praebebant, cum mox, quod ad disciplinam attinet, cum celeberrimis ejusmodi institutis externis certare possent. Medicinam alicui una cum Chirurgia facere non licebat; id vero haudquaquam, ut in Gallia fiebat, multarum litium fuit causa, neque Chirurgo postposuit Medicis; hic vero Chirurghi minime impediabantur, quo minus et vulgo quidem de Medicorum consensu id agere possent, ut ad aegrotorum salutem artem propagarent.

Nil mirum, artem hac re ad perfectionem inopinatum pervenisse, atque illud saeculum viris artis peritissimis abundasse, quorum magno ex numero hos tantum citamus: *Paulum Barbettium* Amstelodami et *Janum Hoornium* Lugduni-Batavorum artem factitantes, *Johannem Beverwykium* Dordraci etiam muneribus publicis egregie functum; *Jobum a Meekeren* clarum chirurgum Amstelodami, cujus observationes hodie etiam legere perutilis erit occupatio, quod imprimis dici potest de *Nicolao Tulpio*, Medico eidemque urbi Praefecto, viro magni nominis; porro *Cornelium Stalpart van der Wiel*, Hagae-Comitis civem, propter audaciam in trepano adhibendo notum; *Fredericum Ruyschium*, Amste-

lodami Professorem Anatomæ et Physiologiæ doctrina illustrissimum, arte chirurgica praeclarum, cujus specimina anatomica, pauca scilicet quæ supersunt, hodie etiam omnibus sunt admiranda; *Antonium Nuckium, Fredericum Dekkerum, Sylvi-um* ac *Blasium*, Lugdunensi-Batavorum aut Rheno-Trajectina in Academia Professores; *Cornelium Solingium*, Hagae-Comitis civem, quorum omnium scripta gravissimarum observationum magnum thesaurum præbent. Sed jam sufficit, neque plures sunt enumerandi, quo dilucidius appareat, sæculum decimum septimum etiam in patria nostra ad illustrissima Chirurgiæ tempora esse referendum.

In elaboranda, quam elegi, materie hunc ordinem mihi sequendum arbitratus sum, ut

- § 1. Considerarentur observationes de tumoribus malignis extirpatis.
- § 2. Observationes de capite obstipito.
- § 3. Observationes de vulneribus capitis.
- § 4. Observationes de labio leporino.

I. DE TUMORIBUS MALIGNIS EXSTIRPATIS.

Hoe ghy met groote wennen leeft,
Die Oorschot zelf verlaeten heeft.

*Rogierse Beerevaart
aan Hendrik van Roonhuysse.*

Ipsae de hoc argumento observationes, a quibus *Roonhusius* orditur, statim Operatorem peritissimum eum denotant, atque ob deliberationem non perturbendam et audaciam cautam, quibus in periculosis ejusmodi vitiis curandis usus est, summa attentione sunt digna. Quum operationem, quamvis difficilem, aegrotis mortem haud dubiam erepturam, aut vitio molesto eos exemturam judicaret, ab illa non animi abjectione prohibebatur; quaeque multis collegis impedimenta viderentur non superanda, manu firma indefessoque labore saepe feliciter vincebat. Quod quo demonstratur, varii hoc capitulo casus, quorum exemplo et hodie, duobus fere

saeculis praeteritis, non raro stimulari licet, commemorabuntur.

Observatio prima ingentem tumorem, in regione parotideae viri octo et triginta annos nati existentem, atque a *Roonhusio* tumorem strumosum vocatum, feliciter extirpatum memorat. Iam multis annis ante hoc vitium ex induratione parva post aurem sinistram exortum, ac per longum temporis spatium aegroti minime erat molestum, donec postremis annis celerius increscens ad horrificam pervenerat magnitudinem, ab aure usque ad mentum claviculaeque dependens; basis ei erat amplissima (circuitu fere duas palmas aequans), color fusco-caeruleus, dum dura et angulosa superficies in superiore tantum parte fluctuationem praebat. Complures de hoc vitio consuluerat aegrotus Medicos et Chirurgos, quos inter arte peritum *Fey*, Chirurgiam *Oorschoti* facientem, qui vero omnes tumorem insanabilem neque extirpandum judicabant. Hoc tamen jam triennio ante *Roonhusio* molituro tunc nondum assentiri, et modo postea, omnibus frustra tentatis, operationem, quippe quod unicum fuerit remedium, subire voluit. Eam hoc modo *Roonhusius* instituit. Paratis omnibus operationi adhibendis, per duos adjutores aegroti, sellae insidentis, a capite tumorem, quam maxime potuit, separandum curavit, eumque ligatura basi quam maxime appropinquante circumdedit. Deinde ope acus, qua ad setacea uti solent, duplex filum e setis equinis paratum ab inferiore ad superiorem partem tumoris perduxit,

et, postquam prius applicatum vinculum sustulit, tam anticam quam posticam partem tegentem cutem persecuit, segmentum tamen quam maxime potuit conservans, quo, tumore extirpato, vulneris superficie obtegere posset. Quo facto, utriusque filii extremitates constringendo tumorem in duas partes sejunxit. Hunc postea totum una sectione aperuit, et ipsam adgressus est extirpationem, quae optime cessit. Haemorrhagia vehementior pulvere adstringente cito est sedata; cutis margines quam maxime sibi invicem conjuncti, atque omnia apte sunt ligata. Insequens curatio aequae atque ipsa operatio optime evenit; quinque enim vel sex hebdomadibus post aegrotus perfecte est sanatus.

Hanc observationem nobis accurate attendentibus operatoris audacia, ut jam supra est dictum, dilucide apparet. Magnam etiam haud dubie gloriam extirpatio hujus tumoris *Roonhusio* attulit, ut e versiculis, quos *Rogerus Beerenartius Roonhusio* dedicavit, quique huic capitulo sunt praepositi, est conjiciendum. Neque haec observatio fugit *Cl. Velpeau*, operatorem nostro tempore peritissimum, qui in scriptis de operationibus chirurgicis eam commemorat, atque hoc ipso operationi jam duobus fere saeculis ante factae laudem meritam tribuat. *Velpeau* de modo, quo *Roonhusius* haemorrhagiam in illa operatione praevenire conatus est, prolixius loquitur, atque alios putantes, glandulam parotidem a *Roonhusio* esse extirpatam, refutat, et jure quidem, nam ut quoque nobis est

visum, fuit probabiliter tumor fibrosus supra glandulam insidens (1).

Observatio secunda tumorem feminae dextra in cavitate axillari majorem existentem, a *Roonhusio* Steatoma dictum, atque non minus feliciter extirpatum exponit. Per quadriennium, ex quo hoc vitio vexabatur, femina tres peperit infantes, et durante graviditate quidem tumoris amplitudinem diminui, sed per lactationem multo celerius incrementum observavit. Complures Chirurghi ei extirpationem, ex qua ne lethalis haemorrhagia oriretur metuebant, dissuaserunt. Non ita *Roonhusius*, qui feminae persuasit, ut operationem subiret. Quum tumor cum partibus subjacentibus non cohaereret, hoc modo rem peregit. Ab aliquo adjutore tumorem quam maxime retrorsum trahendum curavit, dum alius adjutor feminam firmiter tenebat; deinde tumorem ligatura circumdedit, et tunc cultro una sectione totum vitium extirpavit. Insequens curatio nihil insoliti praebuit, sed longo tempore ad sanationem perfectam opus fuit. Et haec tamen secuta est, et biennio post femina, *Roonhusio* teste, optima valetudine fruebatur.

(1) «Effrayé par les dangers de l'hémorrhagie *Roonhuysen* qui avait déjà proposé de la remplacer par la ligature, passait un double ruban profondément à travers la base de la tumeur, et en nouait ensuite séparément les deux moitiés l'une en haut, l'autre en bas; de manière à produire la mortification des tissus malades en les privant de toute circulation.» — Vid. *Velpeau* Nouveaux Eléments de Médecine opératoire Tom, 2 pag. 182. Paris 1832.

Observatione tertia *Roonhusius* tumorem in femoris postici inferiore parte existentem, sed feliciter extirpatum narrat. Hoc quoque vitium ab eo Steatoma habetur, sed quamvis lubenter credamus, tumorem in cavitate axillari sic recte a *Roonhusio* esse appellatum, magis verisimile est, vitium, de quo hic sermo fit, *Enchondroma* fuisse. Ipse *Roonhusius* scripsit, interiora tumoris fuisse cartilaginosa, et cultro valde restitisse. Hocce autem vitium quadriennio ante virgini, duodetriginta annos natae, acciderat, sed postremo praesertim anno maxime increverat; dolorem non adferebat, tactu durum erat, et in superiore parte ulcerationem margines prosilientes et recurvatos habentem ferebat, ex qua ichor perpetuo emanabat. Medico, virginis curam gerente, assentiente, *Roonhusius* extirpationem statuit, eamque hoc modo perfecit. Virgine aptissime posita, tumorem, aequae atque in observationibus praecedentibus est decriptum, a femore quam maxime separandum curavit; deinde ope acus ad id idoneae duo filae setis equinis paratae in posteriorem partem induxit, et per ea tumorem in duas partes sejunxit. Quo facto, tam supra quam infra locum contactum crus valido vinculo circumdedit, quo haemorrhagiam praeveniret, atque ope cultri totum tumorem extirpavit. Massa autem extirpata duas libras et dimidium pependit. Quidquid vitii superfuisset, brevi sponte evanuit, ac deinde celeris perfecta quoque sanatio fuit.

Observatio decima septima minoris est momenti,

ejus autem ad finem *Roonhusius* indicat, quanto-
 pere in exstirpandis tumoribus cysticis referat, non
 solum *massam* iis comprehensam exstirpari, sed
 etiam ipsam cystim vel maxime deleri, quod ut
 efficeret in casu ibi descripto sibi contigit.

Observatio vicesima tumorem magnum ex occi-
 pite viri, jam per quatuor et viginti annos eo
 vexati, exstirpatum memorat. Per fila in modum
 jam saepius indicatum tumore sejuncto, exstirpatio-
 nem adgressus est *Roonhusius*, et deinde pastam
 causticam, e calce viva et sapone communi compo-
 sitam, postea vero Unguentum Aegyptiacum (1)
 adhibendo delevit, quidquid vitii superfuisset. Quo
 facto, vulneris superficies brevi optima evasit, et
 aegrotus mox plenam sanitatem facile recuperavit.

Denique casum, insequente observatione descrip-
 tum, neque certo vulgarem vocandum, narrabimus.
 Durus enim fuit tumor in palato mulieris, sex et
 triginta annos natae; jam quindecim annos exstiterat
 sensim incrementum capiens. Ad id tempus, quo
 a *Roonhusio* depingitur, in superficie alte penetran-
 tem habebat ulcerationem, atque ad ejusmodi volu-
 men pervenerat, ut non solum totum palatum
 obtegeret, sed etiam linguam deorsum premeret,
 quod cum loquenti et spiritum ducenti, tum cibum
 capienti mulieri maximo erat impedimento. Muliere
 operationem admittente, *Roonhusius* ope cultri cur-

(1) De praeparatione hujus ungenti, vide Pharmacopoeam Bel-
 gicam, in voce.

vati tumorem a palato separavit, atque ex ore exemit, quod vero propter magnitudinem (quatuor erat unciarum) non nisi multo labore peragere potuit. Quo facto, statim haemorrhagia perquam vehemens insecuta est, quam *Roonhusius* quatuor cauteria ardentia adhibendo sedare conatus est; haec vero initio non valde profuerunt, cum vim continuo profluente sanguine brevi amitterent; modo saepius haec denuo applicando *Roonhusius* rem ad exitum perduxit. Illo impedimento remoto, locum affectum linteo compresso et albumine ovorum humectato obtegens reliquam sanguinis effusionem praevinire studuit; dum vero eo occupatus erat adjutor, ut hoc applicaret, atque igitur digitos ori mulieris immittere eum oportebat, haec convulsionibus (trismo?) est correpta, et adjutoris digitos mordica adeo strinxit, ut extrahi minime possent. Tunc summa fuit consilii inopia, sed *Roonhusius*, semper mentis compos, ope instrumenti ferrei, quod a nobis »een mondschroef» vocatur, os refringendum curavit, atque ita adjutorem liberavit (1). Sed haec obiter dicta. Linteum, de quo supra est dictum, per triduum continuo applicatum servavit, dum

(1) Ingenue hanc difficultatem cum publico communicat noster *Roonhusius*: »De patient zeer flau werdende tot beswyckens toe, vervalt in een kramp, waardoor mijn knecht in de lij geraackte, want met de vingeren van de rechterhand doende wesende om 't verband te versorgen, wilde hij met de andere hand den eerste te hulp komen, waardoor hij noch te meer in de klem geraackte, zoo dat hier goeden raad duer was», l. c. pag. 82.

sponte illud abstiterit; deinde lotiones antiphlogisticas adhibuit, donec crustae vulneris ambusti fuerint separatae. Quibus peractis, locum primum affectum spiritu vitrioli linendum curavit, usque dum sanatio perfecta post breve temporis spatium evenerit.

Hac observatione, ut omnibus, quae ab *Roonhusio* commemorantur, viri simplicitas denuo apparet. Incompte et sine ulla superlatione hunc casum difficilem explicat. Fuit autem, ut veri simile est, polypus, aut tumor fibrosus. A tali simplici narratione alia longe differt, quam nostris temporibus multis elegantibusque verbis fecit *Weinhold*, casum ejusmodi, scilicet polypum ex antro Nischmori in oris antrum penetrantem a *Dubois*, Chirurgo praestante, extirpatum et haemorrhagiam vix sedatam Parisiis se vidisse referens. *Weinhold* sic quidem dicit: Unter Löwengebrüll zischte kochendes Blut dem Munde heraus (1).

(1) *Weinhold*. Metamorphosen des Nischmorshöhle, pag. 32.

DE CAPITE OBSTIPO CURATO.

• Het had mij een aangenaam gevoel gegeven, te zien, dat Stromejer onzen Hendrik van Roonhuizen als den eerste noemde, die orthopaedische kunstbewerkingen heeft verrigt."

Suerman.

Capite primo de tumoribus malignis extirpatis locutus sum, quoniam de hac re bene meritum esse *Roonhusium*, clarissimus *Velpeau*, Chirurgus Francicus, nostro tempore est professus. Nunc vero Nostrum etiam in capite obstipo curando excelluisse, ideoque in Germania hodie a *Stromejero* laudatum esse commemorabo. Hoc argumentum prae ceteris me delectasse, nemo non approbabit. Agit enim de operatione, cujus inventio patriae nostrae civibus omnino est attribuenda, quaeque variis modis simplificada et emendata, etiam aliis corporis partibus adhibita, Chirurgiae hodiernae historiae tam illustrem occupat locum.

Ut jam supra est dictum, *Roonhusius* a *Stromeyero* primus vocatur, qui hanc operationem tentaverit. Alios vero scriptores, nec non ipsius *Roonhusii* observationes de hoc argumento nobis legentibus omnino statuendum est, *Roonhusium* in patria nostra non primum capitis obstipi curationem suscepisse, sed huic maxime profuisse multo simpliciore ac minus periculosa quam praecedentium Chirurgorum usum methodo, eamque methodum hodiernae non dissimilem fuisse. Hanc plane aequiparasse, si *Roonhusius* integumenta communia non perscidisset. Primum memoratur a *Nicolao Tulpio* (1), ea perquam delectato, quam ab *Isaäco Minnio*, Chirurgo Amstelodamensi, peractam vidit. Methodus vero ab illo usurpata fuit haecce: priusquam ipsa operatio susciperetur, eo loco, quo perficienda esset, causticum est applicatum, ac, cute tegente eo deleta, tum demum musculus ope cultri est perscissus; quamvis autem spei exitus non responderit, quod, durante operatione, convulsiones extiterunt graviores, et praeterea aliquanto post vitium denuo apparuit, attamen ex iis, quae de *Minnio* locutus est *Tulpius*: »qui etiam aliis in simili affectu opem feliciter tulerat” conjiciendum est, virum alias feliciori eventu esse gavisum. Alia observatio a *Jobo a Meekeren* (2) narratur de ejusmodi operatione a *Floriano*, et ipso Chirurgo Amstelodamensi, peracta.

(1) *Observ. medic. Lib. IV. Cap. 53.*

(2) *Heel- en Geneeskonstige aanmerckingen. Cap. XXX.*

Hic rationem prorsus aliam instituit; usurpavit enim forficem, qua cum cutem, tum ipsum muscolum ab exteriori ad interioriorem partem perscidit. Hic autem uterque casus jam exstiterat, et *Roonhusio* erat notus, quum primum ipse operationem ejusmodi suscepit. Omnino vero perspexit, utramque operandi methodum maximi periculi causam aegrotis fieri posse; ideoque eos imitari jure extimuit; viam igitur prorsus aliam iniit, quae, quamvis minime experti periculi, id magis ab operatoris dexteritate atque experientia pendere permittebat; hanc vero utramque facultatem *Roonhusium* egregie possedissee, saltem non amplius est demonstrandum.

Observatio prima, quam de hoc argumento *Roonhusius* nobiscum communicat, ita sese habet. Vitium obvenerat juveni, tres et viginti annos nato, eratque musculi sterno-cleido-mastoidei portiois clavicularis decurtatio, quo jam inde a nativitate aegrotus impediabatur, quo minus caput more solito tolleret. Nihil adhuc erat adhibitum, multis Chirurgis id dehortantibus, ut vitium illud curaretur. *Roonhusius* tamen, ut jam vidimus, ejusmodi causam non adeo valere, ut se operationi subtraheret, putavit, eamque igitur hoc modo perfecit. Praeparante cura apte instituta, aegrotum sellae insidere jussit, caputque ejus ab adjutore firmiter tenendum curavit; deinde partes subjacentes, ne laederentur, manu quam maxime potuit introrsum compressit, altera vero manu cultellum curvatum, cui tergum erat obtusum, pone muscolum induxit, eoque cum

ipsum muscolum, tum cutem claviculae in propin-
 quitate existentem ab interiore ad exteriorem
 partem perscidit. Quum autem musculi latitudo
 non tota esset perscissa, separationem ope forcicis
 omnino perfecit, quo facto, caput cum sono quodam
 ad positionem normalem est redactum. De cura
 posteriore, quae in talibus operationibus momenti
 est plenissima, non nisi breviter *Roonhusius* est
 locutus, tantum commemorans, sanationi, haemor-
 rhagia sedata, admodum profuisse linimentum Balsami
 Copaivae et Olei Hyperici ex partibus aequalibus
 constans. Observationis hujus in fine addita est
 vitii effigies, quae tamen singularis minime est
 momenti.

Duobus fere annis post *Roonhusius* huic operationi
 alium subjecit puerum, sedecim annos natum;
 vitium autem illius praecedentis omnino fuisset
 simile, nisi musculus affectus in propinquitate ossis
 clavicularis in duas partes fuisset divisus. Ingenue,
 ut solet, ipse *Roonhusius* profitetur, se multo
 majore cum fiducia, atque antea, hanc operationem
 suscepisse, quum tantum aliorum peritia, neque
 sua ipsius experientia adjuvaretur. Nunc etiam
 aperte forcicis usum improbat has quidem ob causas:
 primo, quod majus sit periculum, ne partes sub-
 jacentes laedantur; secundo, quod illius instrumenti
 ope musculus tam durus non una, sed saepius
 iterata sectione sit perscindendus, dum sanguis pro-
 fluens impediatur, quo minus locus vitiosus bene
 conspiciatur, quod Operatori vel maxime sit moles-

tum; tertio, quod operatio diutius retardetur, et majore aegrotum dolore afficiat. Curandi autem methodum, quam observatione praecedente instituerat, omnino ei placuisse apparet, quum hoc altero casu eam totam, non minus felice insequente eventu, repetiverit. Hic etiam *Roonhusius* non indicat, qualem curam posteriorem instituerit; in fine hujus observationis tantum admonet, talibus in rebus summopere esse curandum, ut vulneris margines quam maxime a se invicem separati teneantur, remedia granulationem promoventia adhibenda, et quam maxime impediendum, quo minus cicatrix adstringatur, quandoquidem sanatio celeris exhibeat periculum, ne vitium denuo appareat.

Haec quae diximus, accuratam exhibent expositionem eorum, quae in hac re *Roonhusius* peregit. Itaque valde admirati sumus, Doct. *Duparc* in libro nuper edito (1), ubi de *Roonhusio* loquitur, non solum operandi methodum prorsus aliam descripsisse, sed etiam perhibere, minime constare, *Roonhusio* bene cessisse operationem; id vero propter rationem temerariam nec scientificam, qua usus sit, haudquaquam esse conjiciendum, atque igitur manifestum esse, quapropter hanc operationem nunquam iteraverit. — Ea vero, quae jam supra de hac re diximus, harum accusationum omnium refutationem certo supervacaneam reddunt; tum etiam unicuique,

(1) Geschied- en Oordeelkundige beschouwing van de Pees- en Spierdoorsnijding door *H. M. Duparc*. Amsterdam 1847.

qui *Roonhusii* utramque observationem per egendi operam sibi dare velit, persuasum erit, a Doct. *Dupare* dicta non vero congruere. Quod ad methodum a *Roonhusio* adhibitam attinet, non aequum est, ex hodierno scientiae statu eam dijudicare; modo cum aequalibus illius observationes comparantes aptum de viri meritis iudicium ferre possumus. Hanc ob causam hic breviter eas narravimus, et nequaquam dubitamus, quin omnes, qui partium studio non ducantur, fautori sint *Roonhusio*, nec meritam negaturi gloriam, etiam hac re Chirurgiae promovendae eum profuisse.

DE VULNERIBUS CAPITIS.

En hoe een breucke van de pan,
Cock sonder boor getesen kan.

R. Rogierse Beerenardi.

Hoc argumento *Roonhusii* experientia maxime dilucet. Ab observatione sexta usque ad nonam aliquot hujusmodi casus, qui omnes cranii laesione erant comitati, memorat. Observatio prima cariem cranii, quae ibi a Nostro *cancer ossium* dicitur, trepanatione sanatam exponit. Haec caries ex abscessu, quod aut metastatice, aut critice, aut alio modo (*Roonhusius* id minus accurate indicat) e jecoris morbo praecedente originem duxerat, fuit exorta. Quum *Roonhusio* hoc vitium curandum committeretur, jam amplius quam biennium exstiterat, atque a multis Chirurgis indolis syphiliticae fuerat habitum; curatio vero illam propulsura exiguae vel nullius fuerat utilitatis. Examine accuratiore instituto, *Roonhusius* comperit, vitium esse cariem, usque ad cranii internam tabulam patentem; idque

incurabile judicavit, nisi pars cariosa ope trepani exenta fuerit.

Trepani usus jam antiquissimis Chirurgiae temporibus erat notus, quippe quum Hippocrates operationem illam jam suo aevo quodammodo perfectam haberi velit; *Roonhusii* tempore haec operatio ubique erat usitata, eamque saepius Chirugi vel maxime temere adhibebant; non ita vero ipse *Roonhusius*, quem cum bona, tum mala ex ea evenienda penitus perspecta habuisse, et non nisi urgente necessitate coactum, tunc vero etiam summa cum fiducia gravem hanc operationem adgressum fuisse, mox erit manifestum.

Ex auctoritate Celsi, dicentis; »Quod os cariosum sit eximendum», multis aliis Chirugis praesentibus, id peregit, non vero eventu, quem exspectaverat, felici fructus est; nam, sive morbus ingravesceret, sive non totum os cariosum esset exemptum, aegrotus aliquot hebdomadibus post in eodem statu miserabili versabatur, atque denuo trepanatio erat adhibenda. Tunc *Roonhusius*, postquam accurate examinaverat, quousque vitium pateret, trepanum ad hunc casum adaptatum faciendum curavit, quod, omnia alia usque ad id tempus nota magnitudine superans, depictum est pag. 28. Hujus ope una omnes ossis cariosi partes adeo feliciter sunt exemptae, ut aegrotus a doloribus intolerabilibus statim liberaretur, et, *Roonhusio* teste, plane sanatus quinquennio post adhuc viveret.

In fine hujus observationis *Roonhusius* etiam duos

memorat casus, alterum Ozaenae, alterum Abscessus palati, quos ambos feliciter sanavit. Haec nobis legentibus summa attentione dignum visum est vere dictum, non quamvis cariem cranii originem e lue venerea ducere, quam opinionem tunc vulgo perhibitam esse, hujus narrationis postremis verbis perspicue ostendit Noster, dicens: »Merckt dan eens hoe ongelukkigh, dat soodanighe lyders zyn, die oock niet voorgesproken kunnen worden, als met groote moeyte, insonderheydt by onkundige ende onervarene Heelmeesters.»

Deinde *Roonhusius* capite speciali, quod inscriptum est: »Bedenckelykheden ofte Vraaghsgewyze voorstellinge van de boor», suam de capitis vulneribus sententiam magis perspicue exponit. Compositione cranii ossium breviter descripta, primo pericranii laesiones comitatas cranii fissura simplice animadvertit, in iis incisionem usque ad os faciendam magnopere commendat, malorum ex hoc neglecto oriundorum paucis mentionem faciens. Putantes, Hippocratem in ejusmodi casu trepanationem suasisse, omnino refutat, ipse illam operationem hic supervacaneam, imo periculosam reprobans. Fissuris non alte penetrantibus, e *Galeni* et *Pauli Aeginetiae* exemplo, exemptionem ope scalprorum faciendam commendat, simul tamen summopere esse cavendum, ne cerebri membranae laedantur; fissurarum marginibus plus distantibus, ipsam naturam ostium, quo noxia expellantur, praebere, neque trepanum esse adhibendum judicat; si vero, incisione facta,

symptomata non diminuuntur, sive ossa infracta sunt vel introrsus depressa, tum demum bona e trepano adhibendo eventa expectat.

Observatio sequens contusionem magnam in sinistra capitis parte, in regione muscoli temporalis, existentem elapsu ab alto tractat. Aegrotus nullius rei erat conscius et deinde in statu soporoso versabatur. Venae sectione instituta et fomentationibus resolventibus adhibitis laesio exterior post quinque dies paene sanata erat. Interiorem vero laesionem non ita sese habere, convulsiones ostendebant, quae postea aegrotum corripiebant, cumque vix per momentum deserebant. Ex quibus rebus *Roonhusius* conjectavit, pericranium vel ipsum cranium clandestine esse affectum, ideoque, consultis Medicis aegrotum curantibus, incisionem in loco opposito facere statuit, ex aegroti motionibus in illum locum versus iudicans, fontem malorum ibi esse rependum. Eventus cum spe omnino congruit, quum brevi aegroto sanitate praecedente frui liceret.

Observatione octava *Roonhusius* commemorat, juveni, qui ex altitudine ingenti ceciderat, os frontis stellatim esse fractum atque introrsum pressum, exterioribus integumentis minime vulneratis. Incisione satis ampla facta, ope elevatorii depressas ossis partes relevare conatus est, quod tamen ut perficeret, ei non contigit, quum tabula exterior in multas partes comminuta erat. Statim igitur trepanum adhibendum statuit, quod tamen propter haemorrhagiam vehementem in diem proximum

differre est coactus, quo operatio optime evenit. Notandum est, ut ait *Roonhusius*, hunc juvenem, cujus praeterea os femoris fractum erat, neque febris, neque ullo dolore fuisse correptum, adeo ut, nullo symptomate graviore accedente, feliciter sit sanatus.

Observationibus praecedentibus vidimus, quae remedia his laesionibus gravissimis medendi ars adhibeat; observatione autem nona *Roonhusius* demonstrat, artis ope non semper opus esse, sed ipsam naturam ad id perficiendum haud raro sibi sufficere. Commemorat enim puellulam in rem acutissimam cecidisse, et in fronte grave inde contraxisse vulnus, ossibus depressis et fissuris in varias partes latissime patentibus; et tamen hanc puellulam, licet variis rebus nocentibus obnoxiam, prorsus esse sanatam. Hoc exemplo *Roonhusius*, qui, ut nobis est visum, trepanationi ob justam causam perficiendae favebat, nos monere vult, ne temere incisiones faciamus, sive trepanum adhibeamus, dicens, novis excitandis doloribus symptomata nova et graviora facile provocari posse, atque igitur artem a proposito longe aberrare.

Haec *Roonhusii* observationes de hoc argumento jam sufficiant. Pagina autem 153 et seqq. etiam suam sententiam de dura matre cranio affixa, ejusque influxum in trepanatione perficienda cum nobis communicat. Illis temporibus inter omnes constabat, duram cerebri membranam modo suturarum in propinquitate cranio affixam, et per eas transeuntem in pericranium continuatam esse. Nonnulli

quidem, et hos inter etiam *Fabricius Hildanus* et *Constantinus*, totam duram matrem cum cranio conjunctam observant, id vero anomalum quoddam judicant. *Roonhusius* vero, crebris variorum animalium capitum dissectionibus institutis, id illarum partium naturae congruere conclusit, atque etiam in homine rem sic sese habere comperit. Ceterum *Roonhusius*, quamvis in hoc describendo perspicuitate consueta careat, tantum de durae matris parte exteriori hic locutum esse, facile est conjiciendum. Cum hujus rei persuasum ei esset, mala deinde indicat, quae ex adhibendo decussorio (instrumento, quo dura mater deprimi solebat) exoriunda sint; eoque facile membranae dilacerationem aut haemorrhagiam effici posse, existimans, instrumentum illud longe rejiciendum censet. Denique in fine gravis hujus argumenti recenset, in quibus casibus ex sua sententia trepani indicatio in capitis vulneribus sit facienda; scilicet, si, fractura existente, simul ossa introrsum sunt pressa, vel sibi invicem imposita, aut si illorum e superficie interiore fragmenta ceciderunt, quae cerebri membranas laedere possint, aut si propter haemorrhagiam internam sanguis effusus continuum compressionem cerebri efficit.

DE LABIO LEPORINO.

Of een wanschapen Hasemout
 En veerdig snyt en maecht gezond.
 R. Kogierse Beerenaert.

Hoc vitium, ex quo sive neglecto, sive male tractato, difformitates graviores oriri possunt, summa attentione *Roonhusius* est dignatus, ubi usque descripsit. Quae autem scripsit, ea, hoc argumentum virum praecipue delectasse, satis indicant, atque a viris in arte praeclaris *Rust* et *Kurt Sprengel* optima censentur, quae saeculum decimum septimum de hac re nobis tradidit. Sententias, quae in iis reperiuntur, praecipuas hic breviter exponemus. Primo quidem observat, quam perverse multi sui aevi Chirurghi, hujus vitii curam parvi ducentes, agant; nam, si unquam membri morbo affecti notitia accurata aptaque manu opus sit, certo huic vitio sunt impendendae. Summa contentione cavendum, ne supervacaneis aegroti

afficiantur doloribus, neque tamen clementiae nimis est indulgendum; cautionem ac deliberationem, decente cum misericordia erga mala aliena conjuncta, Chirurgo ejusmodi vitia sanaturus deesse minime oportet. Sed haec jam sufficiant, dum indicat, quae in hac operatione sint observanda, hoc ipso *Roonhusius* suam de hac re sententiam satis expromsit (1).

Deinde varias hujus vitii species ostendit: primam quidem, si una tantum labio inest fissura, cujus margines adeo distare possunt, ut unus, aut duo, aut tres dentes nudentur (labium leporinum simplex); alteram, si duae sunt fissurae, dum major minorve pars labii est interposita, atque margines similes aut dissimiles (labium leporinum duplex); tertiam, si cum utraque praecedentium fissura maxillae superioris ac palati est conjuncta (labium lupi), dum ossis margines acuti interdum e labio eminent. Quae de vitii causa *Roonhusius* refert, ea cum tempore, quo vivebat, omnino congruunt; cum vero id tempus singulari quodam amore rerum mirabilium neque comprehensibilium distinguatur, minime est mirandum, neque aegre ferendum, si multa etiam a Nostro proponuntur, quae hodiernae perspicacitati stulta atque inepta videntur. Vulgo enim tunc ejusmodi vitia congenita

(1) Egregie *Roonhusius* hoc ita indicat: «Welcke operatie wel moet geschieden seer haastigh: Maar, sat cito, si sat tuto; ende daar werdt, om kort te gaan na mijn oordeel vereijst een leeuwenhart, een juffrouwshandt ende een adelaarsoogh. l. c. pag. 197.

terrori, aut phantasiae, aut cupiditati matris gravidae attribui solebant, cujus rei multa et singularia *Roonhusius* citat exempla. Cum vero talia fortuita plerumque in fine graviditatis, ideoque tempore, quo foetus jam plane est formatus, locum habeant, non primitivam causam haec habenda esse animadvertit; atque igitur ejusmodi vitia simul cum prima foetus conformatione esse nata, et postea demum feminae gravidae attentionem ad ea terrore, aut phantasia, aut aliqua quadam re excitari judicat. Adulterorum autem sanationem non aequè probabilem atque infantium existimat, licet et illam, docente observatione postea patefacta, ut perficeret ei contigerit. Infantes operationi mature sunt committendi, etiam lactentes adhuc, nisi forte morbus vel debilitas obstet. Praesertim operatio non est differenda, si infantes hoc vitio impediuntur, quominus lacteant, quod fit, si etiam maxilla superior et palatum fissa sunt. Quod autem ad tempus operationi faciendae maxime congruens attinet, aestatem et ver hiemi et autumno praefert. Prius quam operatio instituitur, aegroti validudo accurate est observanda; disquirendum, num bene sit nutritus, an etiam aliis morbis sit obnoxius, quod, si adulti sunt sanandi, permagni est momenti; tum etiam coarguendum est vitium sanari posse, substantiae jacturam talem esse, ut labiorum conjunctione compensari possit; semper enim hoc non accidit, et tunc major etiam difformitas facile esset efficienda, quam antea exstabat.

et certo non laude, sed exprobatone operator merito afficeretur.

Si quis autem operationem adgreditur, locum praelucidum eligat; infantem gremio alicujus imponat, dum adjutor, hujus post tergum positus, caput infantis immobile tenet, ac manus pedesque linteis impediuntur, quominus moveantur. Cavendum est, ne infans postremis horis dormiverit, ut, operatione peracta, eo magis somno indigeat. Cum omnia, quibus in ejusmodi rebus opus esse potest, parata sunt, cultro labii superficies interior a gingivis caute separetur, quo labium facilius moveri possit, tumque labiorum secedentium margines forcice rescindantur. Si maxillae superioris pars eminent, haec parva forcipe avellatur. Deinde, adjutore caput tenente et genarum cutem, quam maxime possit, in anteriorem partem protrudente, acus ita infigantur, ut modo paucas lineas a margine vulneris facti distent; summopere autem connitendum est, ut acus ex alterius labii parte omnino congruente proveniat, quo facto, filo bombycino affirmetur. Deinde altera acus, et denique tertia eodem modo infigatur. *Roonhusius* acubus argenteis et triquetris utitur, easque ita collocat, ut suprema naso proxime, altera in regione maxime torosa, et tertia supra rubram labiorum partem sit posita. Quum vero satis probatum est, vulneris superficies secum invicem accurate congruere, et omnes ligaturas pariter esse dispositas, hae, acus saepius circumvolvendo filo, magis affirmantur, et deinde

acuum extremitates eminentes abrumpantur, ne
vulnuscula procreent. Apparatus deligationis est
simplicissimus, cum tantum e linteo carpto oleo
imbuto et pulvillo tenui constet, quae segmento
emplastri adhaesivi in loco retinentur, dum simul
eodem emplastro genarum cutis continuo ante-
riora versus premitur. Postquam apparatus per-
biduum ita applicatus est, renovatur, quod
cum fit, summa cura est adhibenda, ut aegroti
caput in eadem positione, atque in operatione
usurpata est, ab adjutore teneatur; acus, prae-
sertim quae in medio posita est, filis circumvolutis
ex parte liberantur, quod quotidie, sed paulatim
est provehendum; saepe jam tertio die acus in
medio posita extrahi licet, et, si eo loco, quo illa
posita fuit, vulneris superficies secum invicem plane
sunt conjunctae, posteriore die acus suprema, quinto
tandem infima eximitur. Apparatus deligationis
solitus denuo applicatur, dum plena sanatio sit
effecta.

Priusquam hanc dissertationem absolvit, *Roon-
husius* sententiam clar. *Guillemeau* reprobat, exhor-
tantis, ut, labiis longe distantibus, utrobique in genis
ncisiones lunatae fiant, ut majore spatio uti liceat.
Roonhusius autem existimat, labiis a gingiva sup-
posita separandis, eandem rem omnino efficiendam
esse. Nec volsellam, qua labium, dum operatio
peragebatur, teneri solebat, adhibendum censet,
cum contusio labii inde nata non nisi noxia esse
possit.

Sequuntur adhuc variae observationes labiorum leporinorum cum simplicium, tum aliorum, quae omnia operationis ope feliciter sunt sanata. Cum vero omnia in modum supra indicatum sint tractata, atque igitur nihil novi exhibeant, supervacaneum mihi visum est, haec singulatim exponere. Ex iis enim, quae hic de *Roonhusio* sunt enarrata, satis unicuique patebit, Nostrum exercitatione artis simplici, praeceptis theoreticis bene fundata, prompta, vere practica esse insignem.

T A N T U M.

T H E S E S.



I.
Musculi carent nervis sensilibus.

II.

Facultas motus coordinandi residet in medulla spinali, non in cerebello.

III.

Sententia Liebigii de exhalatione tanquam causa motus humorum in corpore animali falsa est.

IV.

Endosmosis et exosmosis, functiones in corpore quidem illustrent, non penitus vero explicant.

V.

Ohne rationelle basis ist der Arzt ein Pfuscher. Aber ohne durchgreifende Kenntniss des empirischen Theils der Wissenschaft beraubt er sich selbst mancher nützlichen Waffe gegen die Krankheit.

Canstatt.

VI.

»Da fast jede Krankheit in ihrem Verlaufe das Einschreiten des Chirurgen nöthig machen kann, so ist eine strenge Sonderung der Zustände, welche dies erfordern, von andern, bei welchen dies nicht erforderlich ist und die der Behandlung des Artz allein anheimfallen, nicht thunlich.«

Stromeyer.

VII.

Multi morbi, quibus animalia laborant, carnis eorum usum insalubrem non reddunt.

VIII.

Recte Scoda: Man wird immer gut thun, erst nach Berücksichtigung aller übrigen Erscheinungen an den Auscultation und Percussion den Schluss zu machen.

IX.

Herba Digitalis, siquidem ad moderandam cordis actionem requiratur, non exhibenda est in tinctura.

X.

Gargarismata vulgo in angina inflammatoria nocent.

XI.

Alvus cruenta in Cholera asiatica symptoma est lethale.

XII.

Tugend ist die beste Polizei für Cholera.

Kronzer.

XIII.

Insufficiencia, quam vocant, valvulae tricuspidalis facile dignoscitur; eam vero non nisi relativam esse propter dilatationem ventriculi cordis dextri, saepius quidem suspicari possumus, certo vero affirmare non possumus.

XIV.

Apoplexia plerumque pendet ex atherosi vasorum cerebralium minorum.

XV.

In abscessibus per congestionem permagni momenti est, impedire introitum aëris atmosphaerici.

XVI.

In aperiendis bubonibus inguinalibus tanquam regula generalis valet, incisionem non esse faciendam in directione plicae inguinalis.

XVII.

Exceptis manifestis conceptionis impedimentis, nulla dantur signa certa, e quibus graviditatem abesse concludere possumus.

XVIII.

In normali partus decursu ab omni intempestivo adjumento sedulo est cavendum; naturae autem sibi non sufficienti, nisi a medico Lucinae artem callente adjutae, prudenti ac lenta festinatione succurrendum est, ne praeceps occasio fugiat.

XIX.

Il n'est point de maladie qui attache à la conduite du medecin une aussi grande responsabilité que l'hemorrhagie uterine qui exige plus de sang froid, plus de presence d'esprit, des mesures plus promptes, plus decisives pour apporter du soulagement et sauver la vie de la mere et de l'enfant. C'est de toutes les maladies, celle qui reclame le plus de vigilance et de jugement.

Boivin.

XVII

XVII

XVIII